Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26825
Copyright: Admont, Benediktinerstift

possitarum hunc esse fetorem; at ille alterius rei fetorem se sentire affirmabat. Adhuc illo loquente, adolescens quidam possessus a demone, qui pergens iuxta carinam cum se in navi absconderet, repente exclamavit. Quo statim per Antonium in nomine domini nostri Iesu Christi curato, intellexere universi diaboli illum fuisse putorem.

Alius quoque ad eum vir inter suos nobilis demoniosus adducitur, tanta oppressus insania, ut non sciret se esse apud Antonium, nec non et corporis sui superflua comederet. Quam ob rem rogatus senex ab eis qui eum adduxerant, ut pro illo dominum oraret, in tantum iuveni misero condoluit, ut tota nocte cum eo pervigilans adversum patientis insaniam laboraret. Sed cum iam lucesceret, et obsessus impetu in Antonio facto vehementer eum impulisset, irasci ceperunt qui eum adduxerant, cur seni fecisset iniuriam. Quibus Antonius ait: Nolite alienam culpam iuveni misero ascribere. Furor iste obsidentis est, non obsessi. Idcirco autem in hanc prorupit dolens hostis audaciam, quia dominus ad aridam regionem ire eum iussit, et expulsi sathane indicium iste adversum me impetus fuit. Nulla post verba mora, et adolescens recepto sensu et gratias agens deo, et locum ubi esset agnovit, et toto Antonium amplexans deosculatus est affectu.

Innumera et alia istiusmodi signa sunt, que monachorum concordi sepe relatione cognovimus. Verum non tamen his adhibendus est stupor, quia multo plus que secuntur condicionem nostre fragilitatis excedit. Hora erat nona cum ante cibum orare cepisset, raptum se sensit in spiritu et ab angelis in sublime ferri, prohibentibus transitum aereis demonibus. Ceperunt angeli contradicentes requirere que esset causa retinendi, nullis existentibus in Antonio criminibus. Illis vero ab exordio nativitatis replicare peccata nitentibus, calumniosa angeli ora clauserunt, dicentes non debere a nativitate eius delicta narrare, que iam Christi essent bonitate sopita; si qua autem scirent ex eo tempore quo factus esset monachus et deo se consecrasset, liceret proferri. Accusabant demones multa procaciter mentientes, et cum deessent probamenta fallacibus, liber Antonio conscensus aperitur. Et statim rediens in sese in eo loco in quo stare ceperat, hoc se rursum vidit esse quod fuerat. Tum vero oblitus esce ex illa hora noctem gemitu ac lamentatione transegit, secum reputans humanorum hostium multitudinem et conluctationem tanti exercitus et laboriosum per aerem iter ad celum, et hoc apostoli dictum quo ait: Non est nobis conluctatio adversus carnem, sed adversus principes potestatis huius aeris. Qui sciens aerias potestates ob id semper temptare luctari et contendere ne nobis liber transitus esset ad celum, hortabatur monens: Assumite arma dei ut possitis resistere in die mala, ut nichil mali habens quod de nobis dicere possit inimicus confundatur. Nos autem apostolici sermonis recordemur dicentis: Sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, deus scit. Et Paulus quidem usque ad celum tertium raptus est, ibique auditis verbis ineffabilibus descendit; Antonius autem usque ad aerem sublatus post conluctationem liber ei conscensus apparebat. Habebat etiam istiusmodi donum: Si cuius rei sedens in monte ignarus fuisset, et eiusmodi secum inquireret noticiam, oranti ei a domino revelabatur; et erat secundum quod scriptum est a domino doctus.

Denique cum a fratribus haberetur iste tractatus, et ab eo sedulo sciscitarentur quemadmodum sepositus corporis sarcinam anima gereret, quive ei locus post exitum concederetur, proxima nocte vox desuper nomen eius inclamitans ait: Antoni, exurge, exi et vide. Qui exurgens egressus est; sciebat enim quibus respondere deberet. Elevatis ad celum oculis vidit quendam longum atque terribilem caput usque ad nubes attollentem; vidit etiam pennatos quosdam se elevare cupientes ad celum, atque illum extensis manibus prohibere transgressum, et quibus alios apprehensos elidebat ad terram, alios frustra retinere contendens dolebat super se ad celestia transvolare; et maximum gaudium mixtum merore victi victoresque tribuebant. Statimque ad eum vox facta est dicens: Antoni, adverte quod vides. Et tunc cepit illuminato corde intelligere animarum esse conscensum, et diabolum prohibentem quos et sibi retinet obnoxios, et in se quorum quos decipere non poterat cruciaretur volatu. His visionum incitatus exemplis, cotidie ad meliora crescebat. Neque vero id quod sibi revelatum fuerat causa iactantie fratribus referebat; sed cum orans iugiter dei laudaret auxilium, interrogantibus compellebatur dicere, nec spiritales filios pura in Christo anima occultare quicquam volebat, presertim cum eiusmodi signorum relatio